



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Clerico non licere vel cauponem agere, vel tabernas, nisi necessitatis
causa, intrare. 25

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

tanquam eum qui ministrat? Quare meminerimus potius officii nostri, quam dignitatis. Neque enim ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. Non immerito Hieronymus, ut pellem quandam, fugiendos Clericos ait, qui, à speluncis domorum paternarum abstracti, & post in Ecclesia sublimati, ac Sacerdotiis ditati, vanæ gloriæ & superbiæ stimulis efferruntur.

Hieron.

CAP. XXIV. *Omnis luxu Clerico interdicitus.*

Hieron. in Mich. c. 2.

BEatus Hieronymus, Ecclesiæ præfectos, qui luxu ac deliciis affluunt, Micheam describere asserit, quod ejiciendi sint de spatiosis domibus, lautisque conviviis, & multo labore conquistis epulis, in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Vivere quidem de Altario Sacerdoti licet, luxuriari non permittitur. A crapula itaque & ebrietate, à comotationibus illis ad haustus æquales, à luxu, ab alea, ab immoderatis sumptibus & comestationibus, Concilium generale Clericos revocat universos, sequutum veteris Testamenti institutum, quo ministris Templi vinum & ficera prohibebatur, ne ebrietate gravarentur corda eorum, & ut sensus eorum semper vigeret & esset tenuis. Et Apostolus ait: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed impleamini Spiritu sancto. Et iterum: Non in comestationibus & ebrietatibus; & quæ sequuntur. Atque alibi Salomon: Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.

Matth. 8. 13. 22. 25.

Ex Conc. gen. de vit. & ho. Cleric. c. A crapula.

Ephes. 5.

Rom. 13.

Prov. 20.

CAP. XXV. *Clerico non licere vel cauponem agere, vel tabernas, nisi necessitatis causa, intrare.*

OLim tanta honestas desiderabatur in Clero, ut ne nuptialibus quidem conviviis ipsis interesse liceret, nec immisceri spectaculis ac cœtibus, ubi amatoria cantantur, aut obscœni motus corporis, choreis, & saltationibus efferuntur; ne auditus & intuitus, sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum atque verborum contagione pollueretur. Quid, si videret Ecclesia illa præfca, Clericos nostri temporis tabernarios, tabernisque (quasi domos non haberent) noctu diuque alligatos? quam execraretur facinus! Posthac ergo non solum nullus ex Clero sordidissimum cauponem aut tabernarium agat, sed ne ad tabernas quidem, nisi necessitatis causa, divertat: alioqui pœnæ Canonicæ imminent ei, qui Ordini suo hanc ignominiosam notam inurere tentaverit.

Ex Conc. Agath. Laodic. Carib. uli.

Ex Concilio Vienne.

CAP. XXVI. *Habitus seu exterioris corporis cultus modestia à Clericis exigitur.*

BEatissimus Paulus habitus modestiam & in mulieribus desiderat; quem vult verendum esse, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Itidem Apostolus Petrus eas commendat, quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei loquax. Quam turpis ergo putanda est in Clericis, tanto gradu sublimioribus, deformissima illa ac frequentissima nostræ tempestatis habituum variatio, quam ne inferiori quidem vasculo Apostolorum Principes permittendam duxerunt! Ex veste apud homines sanctimoniam opinionem aucupari prohibuit Christus, qui, in omnibus operibus nostris, id quod intus est, primum respicit, mundarique jubet; deinde, quod deforis est; Væ illud horrendum Pharisæis hypocrisis interminans, qui, ut viderentur ab hominibus justi, dilatabant phylacteria sua, & magnificabant fimbrias, cum essent intus pleni rapina & immunditia. Interim tamen Evangelium non temere vestimentum Joannis Baptistæ, quod illius professioni ac menti respondebat, de pilis camelorum contextum, celebrat; ac ipse Christus vestium mollitiem ac lenitatem aversatur; Ecce, inquit, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Quæ omnia huc spectant, ut velimus Clericos, præter indictam tonsuram, vestes quoque suo Ordini congruentes deferre, quemadmodum olim generali Concilio cautum est. Pudet siquidem nos; cum videmus prodire Clericos, perinde atque sæculi milites, amictos, vel qui sint ut foemina compti. Itidem pannosi Clerici ac vestibus laceri displicent. Neque enim affectatæ sordes, aut exquisitæ delicæ, laudem pariunt.

I Tim. 2.

I Petr. 3.

Matth. 23.

Matth. 3.

Matth. 11.

Ex Conc. gen. de vit. & ho. Cleric. c. Hieron.

CAP. XXVII. *Mali exempli est, Sacerdotem se venditare in Capellanum delicato Laico aut muliercula.*

Magna eorum levitas est, in magnam Cleri ignominiam redundans, qui se Laicis, atque adeo delicatis foeminis, ventris causa, in Capellanos (ut appellant) atque Anteambulones venditant. Qui enim debebant esse gregis Duces, rediguntur in caudam, & sordidissimis quibusque negotiis alligantur. Proh nefas.

Hieron.

CAP.